

Galerius¹, Theutonicus², regens in artibus, et in medicina et in physica³ valde peritus, qui conductus erat magno salario ad legendum. Hic audiens magistrum Yordanem⁴ venisse, ait sociis et scolaribus suis: „cavete, ne eatis ad predicationem illius, nec⁵ verba eius audiatis⁶, alioquin, quod⁷ sicut meretrix polit sermones suos, ut capiat homines.“ Sed mira res a deo facta. Qui⁸ alios trahebat⁹ ab eo, ipse primus captus est in sermone illius, immo vorius dei. Et cum sensualitas misera vellet eum ab ordinis ingressu trahere¹⁰, claudens utramque manum pugnis¹¹ quasi calcaribus percutiebat latera sua, dicens sibi¹²: „Tu ibis illic¹³, vere tu illic ibis.“ Venit ergo et receptus est et fuit in¹⁴ multis salutis exemplum.

Capitulum XI. De intrantibus ex speciali revelatione sibi facta.

§. 4 [fol. 46^b. Pal.]

Frater Heynricus, Theutonicus¹⁵ vir sanctus et in predicatione clero et populo admodum graciosus, narravit hanc fuisse causam ingressus sui: Habebat patrum, militem, in oppido¹⁶ Montis Martis¹⁷, qui eum nutrire et doceri fecerat, et Parisiis in suis expensis tenebat. Qui in Theutonia¹⁷ defunctus, apparuit ei dicens: „sume in remedium pene, qua crucior, crucem transmarinam, que modo predicatur, et cum de Jerosolima¹⁸ redieris, invenies Parisius novum¹⁹ predicatorum ordinem²⁰, quem intrabis, eorum paupertatem non verearis et non despicias paucitatem, quod²¹ in multam gentem et²² salutem plurium convallescent.“ Sumpta igitur cruce et voto completo, cum redisset de transmarinis partibus Parisios²³, invenit ibi²⁴ paucos fratres, qui de Tholosa advenerant²⁵ et de novo acceperant domum. Et sine aliqua hesitatione intravit ad eos, ubi²⁶ postea²⁷ apparuit ei²⁸ dictus patruus, gratias agens, quod eius adiutorio erat a purgatorio liberatus.

¹ Galerius, Vr. ² Thotonicus, Pal. ³ et in ph. fehlen in Pal. ⁴ Jordanem, Vr. ⁵ neque, Vr. ⁶ eius audiatis verb., Vr. ⁷ quia, Vr. ⁸ quia, qui, Vr. ⁹ retrahebat, Vr. ¹⁰ vellet eum retrahere, Vr. ¹¹ pinguis, Pal. ¹² fehlt in Vr. ¹³ illuc, Vr. ¹⁴ fehlt in Vr. ¹⁵ Heynricus, Tehutonicus, Pal. ¹⁶ opido, Pal. ¹⁷ Theutonium, Pal. ¹⁸ Jerulima, Pal. ¹⁹ novorum, Pal. ²⁰ ord. pred., Vr. ²¹ quia, Vr. ²² gentem et fehlen in Vr. ²³ fehlt in Pal. ²⁴ fehlt in Pal. ²⁵ venerant, Pal. ²⁶ fehlt in Vr. ²⁷ post, Vr. ²⁸ fehlt in Vr.

* Marburg in Hessen. Greith a. a. D. S. 12 sagt ebenfalls, daß Heinrich von Marburg dieser Prediger gewesen sei und Ludwig der Heilige habe ihn 1254 mit nach Palästina genommen, auf der Rückreise starb er. Antonius Senensis chronicon p. 110 hält jedoch den Heinrich, der den Kreuzzug mit König Ludwig d. S. machte, für den Essener Prior und Provincial.

§. 5. [Dieser Paragraph ist aus Vr. abgedruckt.]

Vir fame eximie et sanctitatis magne, qui excellens fuit in physica et prior provincialis in Theutonia, frater Albertus Theutonicus, magister¹ in theologia, cum adhuc iuvenulus esset [et]² studeret Padue, examinationibus fratrum, maxime ex predicationibus magistri Jordanis, habebat sepe voluntatem intrandi ordinem, sed non plenam. Avunculus enim eius, qui ibi erat, contradicebat ei. Unde et ipsum iurare compulit, ne infra certum tempus iret ad domum fratrum. Post quod transactum veniens frequenter ad fratres, firmavit propositum, sed timor, ne exiret, faciebat eum multotiens vacillare. Quadam autem nocte vidit in sompnis, quod intrasset ordinem et quod post modicum exisset. Evigilans ergo mirabiliter est gavisus eo, quod non intraverat, in animo suo dicens: „nunc video, quod illud timebam, evenit mihi, si unquam intrarem. Contigit autem eadem die, cum interesse[er] sermone magistri Jordanis, qui inter cetera loquens de temptationibus dyaboli, quam subtiliter decipit aliquos, ait: „sunt aliqui, qui proponunt relinquere mundum et ordinem intrare, sed dyabolus facit eis impressiones in sompnis, quod intrent et postea exeant, et equitantes vel in vestibus rubeis vel solos vel cum dilectis inveniunt se, ut scilicet timorem sic eis incutiat intrandi, quasi non possint perseverare vel si iam intraverunt, ut terreat atque conturbet eos.“ Tunc juvenis, miratus vehementer, post sermonem accessit ad magistrum et ait ei: „magister, quis revelavit vobis cor meum?“ Et exposuit ei omnes cogitationes predictas suas et sompnium. Dixit ei³ magister Jordanis, firma de deo precepta fiducia: „promitto tibi, fili, quod si intraveris, nunquam de cetero exhibis,“ replicans ei pluries verbum istud. Ille ergo ad verba eius excusso corde conversus et omnem moram recidens ordinem intravit⁴. Hec autem omnia ipse Albertus frater narrans dixit. quod ad omnes, quas habuit in ordine temptationes, sive a diabolo, sive a mundo, recordatio promissionis illius sancti viri erat ei remedium singulare.

Capitulum XI. De intrantibus ex speciale devotione et inspiratione beate Marie virginis.

§. 3 [fol. 49^b. Pal.]

Sancte memorie frater Heynricus¹, primus Colonien-sis prior, cum² a socio suo, magistro Yordane³, qui

¹ Albertus in Vr. hier wiederholt. ² von mir ergänzt. ³ quod ei, Vr. ⁴ Heynricus, Pal. ⁵ qui, Vr. ⁶ Jordane, Vr.

* Greith, a. a. D. S. 37 und 38, erzählt diese Predigt Jordanis in Padua und Alberts Conversion nach dieser Quelle, aber etwas abweichend.